

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XVII. Qualiter homo cor dei salutet, et cor suum deo offerat, et  
sensus suos commendet.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

comportant : ibi ego Dominus liberalitate divinæ meæ majestatis omnia vulnera sano , peccata relaxo , omnium virtutum paupertatem dico, et omnium afflictiones relevo. »  
 Et anima : « Domine, quid agis cum oro , vel psalmos lego ? » Cui Dominus : « Ego ausculto ; cum vero cantas, chordam meam ad tuam trico ; cum operaris, ego requiesco ; et cum sollicitius et studiosius laboras, ego dulcius in te quiesco. Cum tu comedis, ego laboro ; quia tu me et ego te pasco ; cum dormis, ego vigilo et te custodio. »

Christus  
cum anima  
usque  
operatur.

## CAPUT XVII.

QUALITER HOMO COR DEI SALUTET, ET COR SUUM DEO OFFERAT,  
 ET SENSUS SUOS COMMENDET.

« **M**ANE cum primo surgis, saluta florens et amans Cor  
 dulcissimi amatoris tui, a quo omne bonum, omne gaudium, et omnis felicitas effluit in cœlo et in terra, effluit et effluet sine fine<sup>1</sup>; et cor tuum totis viribus ejus Cordi infundere conare, ita dicens : Laudo, benedico, glorifico et saluto dulcissimum et benignissimum Cor Jesu Christi, fidelissimi amatoris mei, gratias agens pro fidei custodia, qua me hac nocte protexisti, et pro me laudes et gratiarum actiones et omnia quæ ego debebam Deo Patri incessanter persolvisti. Et nunc, o unice amator meus, offero tibi cor meum, ut rosam vernantissimam, cujus amœnitas tota die oculos tuos alliciat, et ejus fragrantia divinum Cor tuum delectet. Offero etiam tibi cor meum, ut eo pro scypho utaris, unde tuiipsius dulcedinem bibas, cum omni quod hoc die in me operari dignaris. Insuper offero tibi cor meum, ut optimi saporis malogranatum, et tuo regio con-

Laudes  
Cordis Jesu.

1, In cor tuum. *Ed. teutonica Lips. 1503.*

Cor Sponsæ  
in Dilectum  
transit.

decens convivio, quod comedendo sic trajicias in te, ut de cætero se feliciter sentiat intra te: orans etiam ut omnis cogitatio, locutio, operatio et voluntas mea secundum beneplacitum tuæ benignissimæ voluntatis hodie dirigatur. »

Sensus  
suos divinis  
perfectioni-  
bus  
commendat.

« Deinde signa te crucis signo, dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Pater sancte, in unione amoris amantissimi Filii tui, commendo tibi spiritum meum. Quod verbum etiam ad singula opera tua cum ea incipis repetas, sive cum intras chorum, vel cum horas inchoas, vel cum vis orare; et credas Deo, quod opus illud quod tunc agis nunquam valeat deperire. Commenda etiam visum tuum, tam interiorem quam exteriorem, divinæ sapientiæ; orans ut lumen cognitionis tibi donet, quo voluntatem ejus, et omnia sibi placita agnoscere valeas. Auditum etiam tuum divinæ commenda misericordiæ, orans ut intellectum tibi ad omnia quæ illa die auditorus es, tribuat, et a nocivo visu et auditu te protegat. Os quoque et vocem divinæ commenda fidelitati; orans ut tibi gustum divini Spiritus sui infundat, quo omnia quæ illa die proferre debes, tibi sapiant, et os tuum in ejus laudes et gratiarum actiones aperiat, et etiam ab omni peccato custodiat. Manus vero tuas divinæ pietati commenda; orans ut opera tua suis apponat operibus et in ei somnia tua sanctificet et perficiat, et ab omni pravo opere retrahat. Cor etiam tuum divino amori commenda; orans ut illud divino Cordi suo cum omni delectatione intrahat, et in amore suo ita succendat, ut nunquam terrenum gaudium vel delectationem amplius sentire valeat. Similiter in Missa cor tuum offeras Deo, et ante Secretum depura illud, et ab omnibus terrenis exoccupa, et præpara te suscipere effluxum divini amoris, qui omnium præsentium corda influit et replet incessanter. »

Sic enim hæc ancilla Dei vidit in Missa Cor Jesu Christi dulcissimum in similitudine lampadis, perlucidum ut crystallum, ardens ut flamma ignis, et ex omni parte circumquaque ex abundantî dulcedine supereffluens; omnium corda qui aderant cum devotione, melliflue instillabat. Ignis significabat ardorem divini amoris, quo se Christus pro nobis obtulit Deo Patri in ara crucis; dulcedo vero effluens, abundantiam et copiam omnis boni et felicitatis quam in Corde suo nobis donavit: quia in eo omnia nobis salutaria et necessaria habemus, scilicet in laude et gratiarum actione, in oratione, in amore, in desiderio, et in satisfactione, et omnium negligentiarum nostrarum suppletionem.

Cor divinum  
ut lampas  
ardens et  
effluens.

## CAPUT XVIII.

QUID HOMO PRO NEGLIGENTIIS SATISFACIAT, ET QUOD DOMINUS SEPTEM MODIS VENIT IN MISSA.

**A**LIA autem vice, cum pro una persona Dominum oraret, et quid pro ejus negligentia acceptare vellet, inquireret, tale a Spiritu Sancto responsum accepit: « Ipsa quotidie tria *Laudate Dominum omnes gentes* legat. Mane, unum dicat, accipiatque puerum Jesum in dextera sua, representans ipsum Deo Patri cum omnibus operibus infantia et pueritia suæ, in suppletionem omnium bonorum quæ in pueritia neglexit. Secundum legat in Missa, accipiendo Dominum Jesum velut sponsum animæ suæ, reddat se culpabilem coram Deo Patre quod tanto et tali sponso vicem amoris et fidelitatis, nec debitam reverentiam unquam exhibuit, recolens etiam quanta bona ab eo gratis accepit; quia pauper et vilis erat,